



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopis, Episcopis, & universis Ecclesiarum Praelatis in Sicilia
constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Vide supra epist.
157.

per scriptum nobis à venerabilibus fratribus Panormitano, Capuano, Reginensi, Montis Regalis Archiepiscopis & Trojano Episcopo sub ejusdem Imperatricis bullâ transmissum, ad defensionem regni tanto amplius aspiramus, quanto plus præter debitum officij pastoralis de statu & quiete ipsius tenemur specialius cogitare. Verum ne quid ex contingentibus omittamus, dilectum filium nostrum I. tituli sancte Pudentianæ Presbyterum Cardinalem & apostolicæ sedis Legatum ad dilectos filios nobiles viros P. Celenan. & R. Teatin. Comites, quos verè fideles regni & Ecclesiæ Rom. devotos invenimus, cum non modica pecunie quantitate in stipendia militum eroganda dirigimus, ut per eos & militum nostrorum subventio & defensio regni celeriter & utiliter procuretur. Studete igitur omnes & singuli taliter præparari, ut pro regni defensione resistatis violentię Marcoualdi, qui perpetuae vos nititur tradere servituti.

ARCHIEPISCOPI S,
Episcopis, & universis Ecclesiârum
Prælatis in Sicilia constitutis.

Epist. 561.
De eodem ar-
gumento.

PRÆTER generale debitum &c. usque ad verbum mandavit. Licet autem ad suscipiendam tutelam Regis ipsius & regni balium assumendum ad regni jugiter præparemur ingressum, quia tamen negotium dilationem non capit &c. in eundem ferè modum usque ad verbum afflatis, & nos ad honorem Regis ipsius super ejus tutela & regni balio afficureis, sicut dicta disposuit Imperatrix; ut ex hoc fides, quam circa eundem Regem & nosipos habetis, manifestis elucescat, & nos ad honorem vestrum intendere non immerito debeamus. Nos enim &c. usque ad verbum Attendentes igitur qualiter Regi renamini memorato &c. usque ad verbum curetis adesse, quod ex hoc nos vobis constitutatis quodammodo debitores. Præcavete vobis &c. usque in finem.

G. S A N C T Æ M A R I Æ
in portico Diacono Cardinali,
apostolice sedis Legato.

Epist. 562.
Ipse gubernationem Regis minoris & regni Siciliae cōmittit.

CONSTANTIAM tuæ mentis, prudentiam, dispositionem in arduis negotiis apostolicæ sedis experti, certitudinem de fortitudine quam in negotiis regni Siciliae pro statu & honore ipsius

manutenerendo immo etiam promovendo in melius tam nostris quam prædecessorum nostrorum temporibus habuisti, quod ad præsens circa tutelam carissimi in Christo filij nostri F. Siciliæ Regis illustris & regni dispositionem implere per nos ipsos personaliter non valemus, tibi fiducialiter duximus committendum, scientes quod in his, sicut & aliis negotiis tuæ curæ commissis, honorem sedis apostolicæ * utiliter & efficaciter promotebis. Hac igitur consideratione induiti, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut in negotiis sollicitudini tuæ commissis, que vel ad tutelam Regis vel regni dispositionem pertinere cognoveris, vice nostra sublato appellationis impedimento, prout melius videris expedire, procedas.

N O B I L I V I R O
L. de Aquila Comiti Fundano.

QUOD in obsequio & fidelitate inclytæ recordationis Constanciæ Imperatricis fortiter persististi, quod inimicis regni restitisti viriliter, & eos etiam expugnasti, gaudemus plurimum, & ex hoc futuræ devotionis tuæ sumimus argumentum; sperantes, immo etiæ pro certo tenentes, quod jam nunc in regni tuitione fortius perseveres, cum ad nos præter id quod regnum Siciliae ad jus & proprietatem Ecclesiæ pertinet, specialius ipsius defensio spectare noscaratur. Siquidem Imperatrix prædicta legitimum condidit testamentum, quo nobis carissimi in Christo filij nostri F. Siciliæ Regis illustris tutelam & curam regni concessit; ac postmodum vigesimo septimo die mensis Novembris viam est universæ carnis ingressa. Vnde cum de fratrum nostrorum consilio regnum dante Domino ingredi disposuerimus, ad ipsum solidandum in ejusdem Regis fidelitate ac obsequio, & tranquillitate, pace, ac justitia conservandum, dilectum filium nostrum I. tituli sancti Stephani in Cœlio Monte Presbyterum & G. sancti Adriani Diaconum Cardinales, quos inter fratres nostros syncero prosequimur dilectionis affectu & specialis benevolentia brachiis amplexamur, ante faciem nostram duximus præmittendos: qui & adventum nostrum prænuntient, & de benevolentia & gratia, quam ad eundem Regem & regnum gerimus, vos efficiant certiores. Ideoque nobilitatem tuam ro-

* f. viii.

Epist. 561.
Vi Legatis ipsi
Rolicis obtem-
peret, & confi-
lio aquæ auar-
lio fit.